DE ACCENTIBVS ET RECTA pronunciatione opuſculum, Alberto Nouicampiano authore.

AD LECTOREM.

Rectè ſi cupias, uoces proferre Latinas,
En ad id, Albertus ſat breue pandit iter.

CRACOVIÆ
Apud Viduam Floriani.

ALBERTVS NOVICAMPIANVS adolescenti bonarum literarū studioso Salutem.

MAgnam uim esse orationis, literis proditū est, lectissime adolescēs, adeo ut oratio plerumq; conficiat, quod ferrum hostile efficere nequit. Cum uero uox orationis index sit, accentus autem uelut anima uocis, nam ut nulla uox sine uocali, ita sine accētu nulla est, operepretium me facturum existimaui, si quædam de accentibus, & pronunciatione, in compendiū redegero, ad usumq; præcepta ipsa, uiua uoce, cuius est maior efficacia, reduxero, plurimos enim uidere est, ea in re errare, turpiterq; labi.

bi.

bi. Quorum etiam pleriq;, dū uitiosam pronunciationem effugere nituntur, in contraria tamē uitia, quod stultis est peculiare, currunt. Turpe autem esse ducendum est, orationē, qua fit, ut ipsa ratio, qua nihil diuinius nobis datū est, nos magis adiuuet, in nobisq; sit manifestior, non recta pronuntiatione uitiatam esse. cui malo cum artificio quodam authores mederi uoluerunt, hoc congestum, non alienū erit uidere. Quoniam autem in eo quantitas syllabarū requiritur, ꝓinde ea de re, quædam breuissima adiungenda duxi. Quodsi quispiā me noctuas Athenas (ut dicitur) ferre dixerit, is, si uiam facilitatēq; docendi, hic spectauerit, operamq; hanc quosdam a nobis contēdisse sciuerit, aliter forsan sentiet. vale,

operaq;

operamq; hanc nostrã paruulam boni consule. alia enim nunc propter ualetudinem nondum confirmatam dare non licuit. Ex gymnasio nostro xxvii. Augusti. Anno domini 1548.

DE ACCENTVVM descriptione & numero.

Caput Primum.

ACcentus dictus ab accinẽdo, ꝙ sit quasi quidã cuiusq; syllabæ cantus. nulla enim syllaba sine accentu proferri potest, etiã ab his qui crassa quadam rusticitate delectati, accentum se nolle curare aiunt. Apud Græcos ideo προσωδία (qua uoce etiam Latini utuntur) dicitur, ꝙ προσάδεται ταῖς συλλαβαῖς. id est, accinitur syllabis.

Accentus, quidam fastigia uocauerunt, ꝙ capitibus literarum adponerentur, alij tenores uel tonores (ut Fabius docet) uel tonos appellant, declinato uidelicet a Græcis uerbo, qui τόνους dicunt, quasi tẽsiones a τείνω id est tendo.

Accentus, definitore Prisciano, est

certa lex & regula, ad eleuandã & deprimendam syllabam uniuscuiusq; particulæ orationis. quæ definitio tono acuto, graui, & circumflexo proprie conuenit.

Accentus, a Prisciano & Diomede numerantur decem, acutus accentus, grauis, circumflexus, longus, breuis, hyphen, diastole, apostrophos, dasea, psyle.

Accentus quidam diuidunt in tonos seu tenores, tẽpora, passiões, & spiritus. Tonos rursus, in acutũ, grauem, & circumflexum. tempora in lõgum & breue. passiones in hyphen, diastolen & apostrophũ. spiritus in daseam & psylen.

Accentus acutus est qui acuit seu eleuat syllabam. eius nota est / ita per obliquum ascendens in dexteram partem.

Grauis accentus est qui deprimit, aut deponit syllabam. eius nota \ a summo in obliquũ quasi in dexteram partem descendens.

Circumflexus qui deprimit atq; acuit syllabam. uel (ut alij describunt) qui tardius eleuat syllabã. dicitur autem in descriptione tardius, ad differentiam acuti toni q̃ citius eleuat syllabam. Circumflexus de acuto & graui figuratur sic ^. apud Græcos uero ita ~

Quoniam uero breue iter est docẽdi per exempla, & efficax, exẽpla singulorũ subiungere libuit. Exẽplum acuti est, in syllaba *dó*, in dictione *dóminus*, grauis uero, in syllabis mi & nus, prima enim syllaba a recte pronunciante in dictiõe dominus eleuatur, mi & nus deprimitur. sic in dictione légere, prima acuitur

cuitur, reliquæ grauantur. exem-
plum circumflexi est ma, in dictio
ne amare, di in dictiõe audire. ubi
purgatæ auris audit a & di sylla-
bam acui & flecti quodam modo,
uel tardius eleuari. sed de his plu-
ra quando ad usum præcepta re-
ducemus legendo.

Tenores sunt duplices. Principa-
les, acutus & circũflexus. Minus
principales, unus, grauis, qui &
syllabicus dicit̃, in omnibus nãq;
syllabis est, quæ non habent acu-
tum uel circumflexum. quorũ du-
orum, unum tantũ dictio obtinet,
ut postea latius dicetur.

Tempus est mora prolationis. Lõ
gum tempus est longior mora in
proferendo, eius nota est linea a si
nistra in dextram partem æquali-
ter ducta sic —

Breue tempus est, breuior mora in
proferendo, eius nota est linea ia-
cens similiter, sed panda, sicut pars
inferior circuli, ita ᴗ. Harum nota
rum officio sic utimur, ne producti
onis, uel correptionis ratio confun
datur. apud Latinos enĩ quinq; li
teræ uocales, tam corripiũtur, quã
producuntur. Inueniuntur autem
quædã homonyma, de quibus q̃d
dici potest, nisi ꝙ accentus sit arbi-
ter discernens utriusq; significati
differẽtiã. Sicut parens, obsequens
significat, intelligit̃ & pater, estq;
nomen, illud uero participium a
uerbo pareo. Quoties uero partici
pium significat, primam syllabam
producimus, ut est Vergilianus il
le: iamq; ibat dicto parens. eandẽ
uero in altera significatione corri-
pimus, ut alma parens. sic labor

uerbum, prima longa, ut est, summas perlabitur undas, & nomen idem prima breui, ut est, tot adire labores, sic alia sexcenta.

Hic obseruandum est, tempus & tonum diuersa esse, ut in corpore, aliud est magnitudo, aliud color, ita in syllaba, aliud temporis ratione uenit, aliud toni. temporis quidem, longum, breue. toni, acutum graue, inflexum. neque idem est acutum & longū, graue & breue, sunt enim multæ syllabæ, quæ acutæ sunt, non tamen longæ, ut do syllaba in dictione dominus, est acuta, non tamē longa, Virg: in Virgilius grauis, nō tamen breuis.

Sunt sane tempora perinde ac fulcra quædam tenorum, quæ illi natura in syllabis priora requirunt, nec enim syllaba, in qua principalis accentus ponendus est, tono effertur, nisi pro ratiōe temporis. ut uerbi causa di, in dictione audire est longa, ergo habet accentū circumflexum. ge uero in dictiōe legere, quia est breuis, eundem non habet, sed grauem. cum enim penultima in dictione polysyllaba ē longa, habet accentum, principalē intellige, cum uero est breuis, accētus acutus ponitur in antepenultima. penultima aūt grauatur, nā ante dictum est, grauem esse in omnibus syllabis in quibus non est principalis accentus, se de hoc alias plura. nūc cæteri accentus persequendi sunt.

Apostrophus i. auersio, circuli pars dextera, sed ad summā literam cōsonantem adposita, cui uocalis est subtracta, hāc nota deesse ostendimus par

mus parti orationis ultimam uocalem, cuius consonans remanet. ut taton' me crimine dignum ducis? & illud apud Persiũ min' tu istud ais? pro mihine. ubi etiam est syneresis.

Hyphen i. subunio, uirgula circũflexa ab ultima litera primę dictionis ad primam sequentis subducta hac nota ‿ uel hac ◡. ea duo uerba, cum res exigit, copulamus, ne putetur duo. ut est, Turnus ut anteuolanus, & antetulit gressum, &, quam simulac tali pręsentit peste teneri. & illud apud Terentiũ. heri semperlenitas uerebar quorsum euaderet.

Huic contraria est diastole, id est, distinctio, dextera pars circuli sic , ad imam literam adposita. hac uero male cohęrentia discernuntur. ut pro-

ut ꝓcubuit, uiridiq; in littore cõspicitur, sus: ubi inter dictiões cõspicitur & sus, ponitur diastole, ne quis putet debere legi, cõspicit ursus. Et illud. Tũ Danai gemitu, atq; ereptæ uirginis, ira. quo loco, inter dictiones uirginis & ira, ponitur diastole. ne quis intelligat iram uirginis, est enim hoc loco ablatiuus, non nominatiuus.

Cæterum daseam & psylen, quibus nominibus Græci appellãt asperũ spiritũ & tenuẽ, apud Latinos h, uocali additũ uel detractũ demõstrat, id est scriptũ h, aspirationẽ, nõ scriptũ leuigationem significat. Apud Grecos dasea scribit hac nota c minuscula. uel hac ŀ, maiuscula. psyle hac c uel hac ŀ, maiuscula. illud minuscula.

QVIS ACCENTVS principalis cuiq; dictioni dandus, & in quota syllaba, si dictio sit plurium syllabarũ ponendus est.

Caput Secundum.

His absolutis, dicendũ est, quis tonus cuiq; dictioni dandus, præterea in quota syllaba, si duas plurasue syllabas dictio habeat, ponendus est. quæ quidẽ ratio apud Latinos breuissima est, id quod & Fabius ĩ primo testat̃. facilis q̃q;, modo quãtitates syllabarum sint perceptæ. Illud aũt inprimis hoc loco in uniuersum sciendum, nullam dictionẽ Latinã, quin & Grecã, duos accentus principales, e sui natura habere, nisi sicubi encletica particula, tonum in finem præcedentis dictionis reijciat, ut dominúsq;. Vbi, q; particula reijcit accentum acutum in nus syllabam ultimam prioris dictionis. atq; ita hoc loco in una dictione sunt duo acuti toni, unus proprius, alter accessorius. sic. Octauianusq; ubi sunt duo accẽtus prĩcipales, unus circũflexus in penultimo a. & acutus in nus, ex ue ꝑticula reiectus. Omnis igitur dictio, uno acuto, aut circũflexo tenore, efferẽda, eoq; in debita syllaba posito. quæ uero illa sit, mox dicetur.

Porro aliæ syllabę in dictione plurium syllabarum grauandæ sunt, quantæcũq; illæ fuerint. siue longæ siue breues. neq; omnes longæ producendæ, nec breues corripiendæ, inepta eñ insuauisq; ea esset pronunciatio. Vnius ergo fere syllabæ certæ, in dictione, hic obsuerianda est quantitas, ratione cuius accentus priucipalis est seruãdus.

aliæ

aliæ quantæcūq; fuerint nihil refert, omnes enim æqualiter graui accentu efferendæ sunt. Sed iā speciales regulas dictionū consyderemus. quę tres poni poterint. ꝓ triplici ratione dictionū, monosyllabarū, i. unius syllabæ, disyllabarū i. duarum syllabarum, polysyllabarum, i. trium pluriumue syllabarum. Sciendum aūt hos tonos principales, non debere scribi in dictionibus, quod est apud Græcos, nisi id syncope requirat. ut Deum pro Deorum, in ultima circūflexū habet. sic nostras cū accentu circūflexo in ultima, pro nostratis. ita enim antiqui dicebāt in nominatiuo, teste Prisciano. pari ratione in alijs. præterea si enclitica particula dictioni adijciatur, accentus acutus scribendus in ultima sylla-

ba præce-

ba præcedētis dictionis. grauis q̄q; differentiæ causa scribitur. ut male aduerbium cū accentu graui in ultima, ad differentiam uocatiui, a nominatiuo malus. sic una aduerbium grauem habet in ultima, ad differentiam nominis, sed de his hactenus.

Prima Regula de Monosyllabis.

Dictio monosyllaba si breuis est, uel positione longa, acutum habet tenorem. exemplum primi ut mel, fel, &c. secūdi ut pars, ars, pix, mōs. sed si fuerit longa natura, circumflexum habebit, ut mos, ros, lis.

De Disyllabis regula Secunda.

Disyllaba dictio, in priore syllaba habet accentū acutū. si utraq; eius syllaba, uel ultima tantū lōga fue

C rit, ut

rit,ut ætas, ama. prçterea si utraq́; breuis fuerit,aut alterutra positiõe lõga. ut bonus,malus,arma,arcus, cohors. Circũflexum v̾o habebit, si prior syllaba ꝓducta fuerit, & posterior correpta, ut, meta, Roma, Creta,luna.ita Priscianus. cæterũ q̃dam grãmatici recentiores breuius. Si prima (aiunt) natura longa fuerit in disyllaba, flectitur ut ætas, munus. alioqui priorem acuet, ut montes, reges. In summa,in disyllabis in prima est accentus circumflexus,si est natura lõga & ultima breuis, alias semper acutus.

De Polysyllabis regula Tertia.

In polysyllabis dictionibus, secunda ab ultima semper obseruanda ẽ. hęc si natura longa fuerit inflectitur: ut, Romanus, amicus, lectica.

Si uero eadem penultima positiõe longa fuerit,acuetur.ut Catullus, Metelus.ita tamen.si positione lõga,non ex muta & liquida fuerit, nam mutabit accentum in oratione, ut latebræ, tenebræ. Et si nouissima natura longa,itẽq́; penultima natura, uel longa positiõe fuerit,penultima tamen acuetur, nõ inflectet̃.natura,ut Fidenę, Athenæ. positione,ut tabellæ, fenestrę. sin autem media breuis fuerit,prima seruabit acutum tenorem, ut Sergius, Ascia, Claudius. Si omnes tres syllabæ longæ fuerint,media acuet̃, ut Romani, legati,prętores, ita Diomedes lib. ij. de Polysyllabis. alij grammatici breuius. Polysyllaba cuius penultima producitur, ultima uero corripit̃. circumflectit penultimam, ut Ro-

manus. quod si ultima producat, acuet penultimã. ut Athenæ. quæ penultimam positione propucunt, eandem acuunt, non inflectunt. nã circumflexus est semper in natura longis. si penultima, est breuis, antepenultima acuitur semper, ut oratio, Vergilius. In summa, si penultima est longa habet accentum principalem, ut parentes, confessores, amicus. sin breuis, accentũ acutum reijciet in antepenultimam. ut legere, dominus, pauperibus, uerubus, Terentius, Vergilius, sed iuuandæ memoriæ ergo, figura hisce de rebus subijciatur.

Dictio habet accentum principalem

- Monosyllaba
  - Acutũ breuis natura, aut positione longa, ut lis, móns.
  - Circumflexum, natura longa. ut môs.
- Disyllaba in prima
  - Acutum.
    - 1. Si utraq; syllaba est longa, ut ætas.
    - 2. Vel ultima tantum, ut ama. (ut Déus.
    - 3. Vel utraq; breuis,
    - 4. Aut alterutra positione lõga, ut pártes, póntus, cóhors.
  - Circumflexum, si prior syllaba producta fuerit & posterior breuis, ut mêta.
- Polysyllaba
  - In penultima
    - Acũtum
      - 1. Si est positiõe lõga, ut paréntes
      - 2. Si est ultima lõga natura. & penultima lõga natura uel positiõe ut fidénæ, tabéllæ
      - 3. Si oẽs tres syllabæ longæ sunt, ut Romani.
    - Circũflexũ, si natura lõga fuerit, ut Românus.
  - Antepenultima, acutũ semp si penultĩa ẽ breuis, ut paupéribo

Aliam fomulam breuiorē ipſe ſcri
bere poteris, ſi epilogum regularū
ſpectaueris.
His præceptis adiungendam duxi
rationem tonorum, quam Quinti
lianus author grauiſſimus, opti-
muſq; moderator iuuentæ habet
ca: ix. lib: i. inſtitutionum orato-
toriarum. In omni uoce (inquit
ille,) acuta intra numerum trium
ſyllabarum cōtinetur, ſiue hę ſint
in uerbo ſolæ, ſiue ultimę, & in his
aut ꝓxima extremę, aut ab ea ter-
tia. Triū porro, de quibus loquor,
media longa, aut acuta aut flexa e-
rit, eodem loco breuis utiq; grauē
habebit ſonum, ideoq; poſitā ante
ſe, id eſt ab ultima tertiā acuet. Eſt
autē in omni uoce utiq; acuta, ſed
nunquā plus una, nec ultima un-
quam: ideoq; in diſyllabis prior.
præterea

præterea nunquam eadem flexa &
acuta: itaq; neutra claudet uocem
Latinam. ea uero quæ ſunt ſylla-
bæ unius, eruut acuta aut flexa, ne
ſit aliqua uox ſine acuta. hæc ille.
grauiſſime, ut cætera omnia.
Ex prædictis omnibus hæc colli-
gas, accentum principalem habere
tantum tria loca, ultimam, penul
timam & antepenullimā ſyllabā.
ſi itaq; dices acuſatiuū Ciceronem
cum acuto in prima, male ꝓferes,
non enim accentus principalis un-
quam ponitur in quarta a fine.
præterea accentum circumflexum
poſſidere tantum ultimam, & pe-
nultimam ſyllabam, eūq; non niſi
in naturaliter longis ſituari. neq;
in ſyllaba quæ præcedit longam,
niſi id exigat ſyuereſis. ut cogunt.
Quæ

❡ QVAE EXCIPIANtur a prædictis regulis. Caput Tertium.

ACcentuum regulas, tres res, ut Priſcianus ſcribit, conturbant. diſtinguendi ratio, pronunciãdi ambiguitas & neceſſitas. Diſtinguendi ratio, ut pone cum acuto aduerbiũ uel præpoſitio ad differẽtiam imperatiui pone a pono. Sic alio, eo, illo, falſo, ſedulo, forte, aliqua &c. ultimam acuunt, ne putentur eſſe nomina uel ꝓnomina. Alias aduerbium quidam uolunt circumflecti differentiæ cauſa. Circũ prępoſitio, ut Fabius meminit, ultimam acuit, ne putetur accuſatiuus.

Sic ergo, pro cauſa & puta, aduerbium. Diomedes circũflexum ait poni in ea particula, quæ eſt apud Vergi-

Vergi: illius ergo uenimus.

Ambiguitas uero pronunciandi, uel, ut alij dicunt, compoſitio, ſępe legẽ accentuum pertubat. ut interea loci, qui neſcit utrum dicat alteram partem interea, & alterã loci, quod nõ ſeparatim, ſed ſub uno accentu pronunciandũ eſt, ne ambiguitatem in ſermone faciat. In compoſitis igitur dictiõibus unus accentus eſt, nõ minus quã in una parte orationis, ut maleſanus, unde & deinde, ſubinde, perinde, exinde. proinde habent antepenultimam accentu acuto, ut Priſcianus ſcribit libro XV.

Talia ſunt (ut eidem placet teſte Valla lib: ij.) compoſita a quando. aliquando, ſiquando, nequando, nunquando, eſt enim hoc ultimum & ipſum compoſitum. ideo

D per

per n in tertia litera ſcribendum eſt, non per m, pro eo quod eſt nũ aliquando. Sic hactenus, quatenus aduerbia teſte Seruio, ubi uero ora tio eſt, ſingulæ partes ſuum accen tum ſeruant, ut pube tenus, crure tenus, ubi tenus accentum in pri- ore retinet. Sunt tamen nonnulla compoſita, ubi ſecunda pars pro- prium accentũ ſeruat, ut fit in ora tionibus. ueluti teſte Priſciano cõ poſita a facio, ubi a non mutatur in i, ut calefacis, tepefacis, & ſimili ter in cõpoſitis a fio, ut tepefis, ad- dũtur a Feretto ſuauerubẽs, uſu- capio, & ab alijs beneplaceo, fide- iubeo, uigintiduo, uicecões & plu- ra. nec mirum, quia orationes poti us uideri poſſunt quã cõpoſitiões. Neceſſitas, pronunciationis regu- lam corrumpit (ait Priſcianus) utputa

utputa ſi quis in primis dicat do- ctus, & addat ꝙ coniunctionem, et dicat doctuſcꝙ. ecce in pronuncia- tione accentum mutauit, cum nõ in ſecũda ſyllaba, ſed in prima ac- centum habere debuit. Sunt quidẽ tres ſyllabæ in quibus accẽtus cor rumpitur ꝙ, ne, ue. Vbi autem eſt manifeſta compoſitio, encletica, ac- centum prɇcedẽtis ſyllabæ, nõ mu tat, ut deniꝙ, utiꝙ, itaꝙ, undiꝙ. His tribus rationibus quæ accen- tus corrumpunt, adduntur & aliɇ a grammaticis, ut interrogatio, cõ- ciſio, idioma & tranſpoſitio. Inter- rogatio quidem, ꝙ ultima interro gatiõis acuitur, ut quis furor o ci- ues? ubi ſecunda in dictione ciues acuitur, cõtra regulã diſyllabarũ. Conciſio, ut noſtras, ueſtras, habẽt accentum circumflexum in ultima

contra

cõtra legem disyllabarum. est em̃ hic syncope syllabæ ti, nam antiqui, docente Prisciano, nostratis uestratis dicebant in nominatiuo. atq́ ita de subtracta ti, accentus remansit. pari ratiõe Mecœnas, Larinas, Arpinas &c. item genitiui plurales cœlicolum pro cœlicolarum, Deum pro Deorũ, & similes, ultimam circumflectunt. Et uocatiui secundæ declinationis in i, facti a nominatiuo, per absciosiõem us syllabæ, penultimam acuunt. Vergili, Ouidi, Mercuri, docentibus grammaticis. P. Ngidius tm̃ (ut Gellius cap. xxviij. libro xiij. scribit) uocatiuũ Valeri summo tono (ita enim appellabat acutũ) efferebat. sed si quis (inquit Gellius) nunc Valerium appellans, in casu uocandi, secundum id præceptum

ptum Nigidij, acuerit primam, nõ aberit quin rideatur, hæc ille.

Idiomate aũt, id est proprietate linguę impeditur accentus regularis, dictiones enim Græcę, integrę ad Latinos uenientes seruant suum accentum, ut theologia, prosodia, in penultima acuto efferũtur Gręco more. sic paracletus in antepenultima & diploma licet penultima sit longa. & alia plurima.

Huc pertinet illud Quintiliani ca. ix. li. i. in cæteris quæ poterunt utroq́ modo non indecenter efferri, qui Græcam figuram sequi malit, non Latine quidem, sed citra reprehensionem loquetur.

In peregrinis uerbis, & barbaris nominibus, Priscianus nullos certos accentus esse ait.

Transpositio accentum mutat, q́ omnes pręposìtionum, coniunctio

numq; syllabæ, dum præponunt grauãtur, de qua re Quintilianus. cum inquit dico circũ littora, tãq; unum enũcio dissimulata distinctione: itaq; tanquã in una uoce, una est acuta. Quod idẽ accidit in illo: Troie qui primus ab oris. hęc ille. Hinc quidam dixerunt impediri accentum regularem contextu orationis, in quo non possit accentus seruari quarũdam particularũ orationis. postposita aũt præpositio pręd ictas regulas accẽtuũ custodit, idem sentiendum cum præpositio pro uoce sumpta nomẽ est ueluti. ad quæ pars.

Est tamen docente Prisciano, quãdo præpositio postposita grauatur omnibus syllabis. ut si inter regẽs rectumq; ponatur, aut inter determinans, & determinatũ, ut uirtutem ꝓpter imperatoris. Cum præpositio, postposita omnino grauatur, & accentum acutũ in præcedẽtẽ syllabam reiicit, ut nobiscũ, uobiscum. mecum, tecum Sed hacte nus de regulis acceutuũ, & ratiõibus quibus illæ perturbantur, uoluptati enim aurium morigerari debet oratio, ut Cicero ait, referẽte Gellio. Quo fit, ut non natura (ait idem) sed instituto quodam dicamus inclytus breui prima litera, insanus producta, inhumanus breui, infœlix longa. atq; istuc ipsum euenit in omnibus uerbis, in quibus eæ primæ literæ sunt, quæ in sapiente atq; fœlice. in cæteris uero omnibus, in & con breuiter dicuntur, ut docet Cicero, testante Gellio, Id autem nõ nisi euphoniæ gratia fieri dicendum, quę plus interdum

terdum ualet, quã regula precepto rum. Quare & Valerius probus, non semper spectandas esse ait finitiones præracidas, atq; secutinas grammaticas, sed aurem propriam interrogandam, quo quid loco cõueniat dicere. nam quod illa suaserit id profecto erit tutissimum.

DE PRONVNCIAtione recta & uitiis oris.

Caput Quartum.

His absolutis superest, ut de pnunciatione dicamus, in qua, & in conueuienti corporis motu, eloquentiæ ornamenta consistunt. Pronunciationem aũt rectam uoco nunc eam, quæ a Græcis uocatũ ὀρθοέπεια, id est emendata cũ suauitate uocum explanatio, ut Fabius interpretatur. nam de conuenienti corporis motu, hic nihil dicimus, q ea tan-

qui ea tantum quæ grãmatici sũt hoc labore cõquirẽda statuimus. Vt autem sit hæc recta pronuntiatio: præter accentuum debitã obseruationem connitendum est, ut remoueantur uitia oris & linguę, quæ quidem sunt plura, quæ hoc loco describenda duxi. κοιλοσομία teste Quintiliano, cum uox quasi in recessu oris auditur. πλατειασμος id est uitium oris, cum nimiũ deductis faucibus, & ore plus satis patulo, sermo promitur. Cui opponitur ἰσχνότης, cum gracilis est nimium, & tenuis literæ pronuntiatio, quo uitio puellæ quędã nõ parum peccant.

ἰοτακισμος teste Diomede cum i litera ultra iustum decorẽ enunciatur. λαβδακισμος cum l sono profertur pleniore. Martianus libro quinto, aliter hæc uitia finit,

E esse

esse quippe metacismum, quū uerborum coiūctio in literę assiduitate colliditur: ut si dicas, mamā ipsam amo, quasi meam animam. Labdacismū uo, ubi l plurimū dissonat, ut si dicas, sol & luna lucēt luce alba, lactea. Iotacismū, ut si enuncies, Iuno Iouis iure irascit.

Polysigma quando s litera crebrius geminatur, Sosia in solario, soleas sarciebat suas.

τραυλότης id est blęsitas, uitiū est, qn̄ quispiā literā aliquā exprimere nō potest: eaq; nō quālibet, sed certā.

ψελλότης id ē, balbuties, qn̄do in enūciādo litera ꝑtermitit, aut sylla (ba

ἰσχνοφωνία, uitiū ē teste Aristo.

ἀπὸ τοῦ μὴ δύνασθαί ταχὺ συνάψαι τὴν ἑτέραν συλλαβὴν πρὸς τὴν ἑτέραν

Id est, ex eo quod cito syllabæ syllabam connectere minus possit. Ischnophonum sunt qui latine dicant hæsitātem.

μογιλαλία hęsitantia in uerbis, quū ira, aut aliquis alius affectus impedit, quominus eloqui aliquid debitē possumus.

κολοβότης, qui syllabas extremas audiri non sinit, uerum eas quodā modo deuorat, deglutitq;, latinè decurtator.

Hęc sunt, & si qua alia uitia oris & linguæ inueniuntur, quæ per sonos accidunt, quæ demonstrari scripto non possunt, quibus accedunt proprij quidam & inenarrabiles soni, ut Fabius ait, quibus nationes nonunquam reprehēdimus. His uitijs declinatis, curādū erit, ut in pronunciādo uox sit clara, ut suauis. Vtrunq; omnino a natura petendum est: uerum alterum (ut Cicero ait) exercitatio augebit, alterū imitatio presse loquentium & leniter. Literæ sint

Necq; expresse, necq; oppresse, ne aut obscurum esset, aut putidum odiosum & affectatum. Sed de uoce plura rhetores, a quibus, qui uolet, petet.

Sit præterea oratio distincta, id est ut qui dicit, & incipiat ubi oportet, & desinat, hoc autem ostenditur modis quinq; Continuatione, seperatione lectionis, Distinctione, Subdistinctione uel mora,

Continuatio, Est rerum contexta dictio, ut Scytiam septemq; triones, Et. Ast ego quæ diuum incedo regina.

Seperatio, Est secretio rerum, natura iūctarū quæ in ābiguitatem cadunt: ut Cum Turni iniuria matrem admonuit ratibus sacras depellere tædas. Hic enim mater cū Turno iuncta est, quæ ambiguitatis, uitandæ causa separari

debet

debet, ut sit agnitio, quæ mater. & sacras tædas, expresse legendum, ut abominandas ostendat: ut auri sacra fames. tedę em̄ nusq̃ abominandæ, nisi illic, ubi incēdia facta, quoniam sunt ipsæ naturaliter sacris accommodatæ.

Lectiōē posituras accedere, uel distinctiões oportet, quas Gręci θέσεις uocāt, quę inter legēdū dant copiā spiritus reficiēdi, ne cōtinuatiōe deficiat. hę tres sūt, distictio, subdistictio, media distinctio, siue mora uel ut quibusdam uidetur submedia. Quarū diuersitas tribus punctis, diuerso loco positis indicatur.

Distinctio quidem est appositio puncti finiti sensus, uel pendentis nota quæ locis ponitur tribus, sūmo cum sensū terminat, & uocatur finalis a nobis, a Græcis τελεία

Medio, cum respirandi spatium le

 genti

legēti dat, et dicit̃ media. Græce μέση
Tertio, cum lectionis interruptū tenorem aliud adhuc illatura suspēdit, & uocat̃ a Græcis ὑποστιγμή a nobis subdistinctio.
Distinctio, est silentij nota, cū sensu terminata, ubi est liberū cessare prosequiq́3, ita ut neuter sui indigeat, ut est, Numina nulla premunt mortali urgemur ab hoste. & est huius nota punctum ad caput literæ positū. distinguere aūt oportet ante similitudines, & ante redditiuas, hoc est ἀνταποδόσεις. Et si quando a persona ad personā trāsitus factus fuerit. Et ante autem coniunctionem, siquidem non ex abundāti ponitur. & ante casum uocatiuum. & ante sed, & ante. Quoniā, & ante interrogatiua, ut Musa mihi causas memora quo numine leso. Et post interrogatiua Sub-

Subdistinctio, est silentij legitimi nota, qua pronūtiatiōis terminus sensu manente, ita suspenditur, ut statim id quod seq̃tur, succedere debeat. Huius autem nota est punctum sub uersu positum: ut, Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter: Aut, Ego tela dedi, fouiue cupidine bella: non em̄ similiter, ut in distinctione silētiū interpositum tacere permittit, ut est illud. Etsi fata Deum, si mēs non læua fuisset.
Media distinctio, siue mora, Est leuis in continuatione sensuum interposita descretio, legitime distinctionis, subdistinctionisq́3 mediū obtinens locum, ita ut nec pfecta in totum, ne ōmissa uideatur, sed significatione immorandi, alterius principiū desyderet sensus. & hoc solum modo seruat officium, ut legen-

legentis ſenſum breuiſſima reſpi-
ratiõe refoueat, & nutriat. Sic em̃
pronunciando reticere quis debet,
ut, quia ipſe ſpiritus quadam defe
ctione mutatur, deinde reſumatur
ut ẽ, Vt belli ſignũ Laurenti Tur
nus ab arce extulit, et rauco ſtrepu
erũt cornua cantu: Vtq; acres cõ-
cuſſit equos, utq; impulit arma,
ex tẽplo turbati animi, multę em̃
clauſulæ ſunt medię huius lectio-
nis, primũ ne cõfundantur, quæ
δίκολα & τρίκολα ponuntur, ut actus
uerborum emineat, & luceat ut q
ex aliquo moueatur affectu, uel in
dignatione, uel miſeratione colla-
ta, uel certe cum quadam arctati-
one ſermonis, quæ ἐμφατικῶς a poe
tis cõgerũtur. Si quis itaq; ſine me
dia ſpiritus ſuſpenſione ꝓnuncia
uerit (id eſt aut hoc incluſi ligno
occultantur Achiui. Aut hæc in
noſtros

noſtros fabricata eſt machina mu-
ros, aut aliquis latet error, equo
ne credite Teucri) cõfundetur ra-
tio compoſitionis, in generali no-
mine ligni, machinæ, equi. has
quinq; rationes diſcretiõis obſer-
uandas in pronunciatione, uel le-
ctione, deſcribit Diomedes libro
ſecundo, qui pronunciationem ad
eum modum finit. pronunciatio
(inquit) eſt ſcripturarum ſecun-
dum perſonas accõmodata dictiõi
ſimilitudo, cum aut ſenis tempera
mentum, aut iuuenis proteruitas,
aut fœminæ infirmitas, aut quali
tas cuiuſq; perſonæ oſtendenda ẽ,
& mores cuiuſq; habitudinis ex-
primendi, hæc ille.

Quibus adſcribere placuit uerba
Fabij ex capite iij. libri ix.

Obſeruandũ etiã (inquit) quo lo

F co ſu-

co sustinẽdus, & quasi suspẽdẽdus
sermo sit, quod Græci ὑποδιαστολὴν
uel ὑποσυστολὴν, uel ὑποστιγμὴν uocant,
quo deponendus suspenditur.
Arma, uirumq; cano quia illud
uirũ ad sequẽtia pertinet, ut sit ui
rum Troię qui primus ab oris. &
hic iterum, nam etsi aliud est un-
de uenit, quam quo uenit, non di-
stinguendum tamen, quia utrũq;
eodem uerbo continetur, uenit.
Tertio Italiam, quia interiectio est
fato profugus, & continuum ser-
monem, qui faciebat Italiam, La-
uinamq;, diuidit. Ob eandemq;
causam: quarto profugus, deinde
Lauinaq; uenit littora, ubi iam
erit distinctio, quia inde alius in-
cipit sensus. sed in ipsis etiam di-
stinctionibus, tempus alias breui-
us, alias longius dabimus, Interest
enim

enim sermonem finiat an sensum,
itaq; illam distinctionem littora,
protinus altero spiritus initio in-
sequar cum illuc uenero. atq; altę
mœnia Romæ. deponam & mora
bor, & nouum rursus exordium
faciam, ita ille.
Non prętermitenda autem hoc lo
co sunt, quæ de periodis, comma-
tis, & colis traduntur.
περίοδος dicitur plena sententia in
lectione, cuius partes, sunt comma
ta & cola.
Cõmata Cicero uocat incisa, sunt
enim imperfectæ orationes.
Cola membra sunt, & in longa cir
cumductione pene perfectæ oratio
nes. Exemplum eorum, ut cum
multa põtifices a maioribus no-
stris diuinitus inuenta, atq; insti-
tuta sunt, hic est κῶλον primum, se

 quitur

quitur aliud, tum nihil præclarius quã quod uos eosdem, & religionibus deorum immortalium, & summę Reipublicę prȩesse uoluerunt, tertium κωλον, ut amplissimi ciues Rempub. bene gerendo, pontifices religiones sapienter interpretando, Rempub. conseruarēt. Commata sunt partes colorum, ut inuenta, atq; instituta sunt. Et religionibus deorum immortaliū, & summæ Reipub. præesse.

Comma signatur dextera parte circuli, quod etiam designari aiunt duobus punctis, quoties orationis tractus eo peruenit, ubi oratio cū uerbo, aut aliquo uim uerbi obtinente finitur, sed tamen aliam orationem sibi adiungi desyderat, ut nisi dominus custodierit ciuitatē: Primum coma, solent uocare punctum

ctum suspensiuum, quod uolunt esse simplicem uirgulam, ut mors, quam aliqui ponunt inter singulas partes orationis, ut grammaticus, rhetor, geometra, quo loco quidam aiunt poni posse colon.

Colon designatur puncto.

Parenthesis duabus semilunulis signatur sic ( )

Nota interogationis est, uirgula intorta supra punctum sic ? sed de his hactenus, nunc quantitatem syllabarum persequamur, quantū præsens negotium requirit.

❡ DE QVANTITATE syllabarum. Caput Quintum.

QVantitas solis uocalibus inest, quæ omnes apud Latinos, & corripi, & produci possunt,

pro ratione suæ positionis, in primis, medijs & ultimis syllabis. Est enim quando in his producantur, est quando corripiantur: ratione cuius dicuntur syllabæ longæ, breues, communes. Hæc autem quantitas generali præceptione cognoscitur his modis, positione, uocali ante alteram uocalem, diphtongo, deriuatione, incremento, regula, exemplo.

De Positione.

Omnis uocalis positione est lōga, Est uero positio, quando uocalem sequuntur duæ consonantes, aut dupla, quales sunt x z, & i inter duas uocales, ut pannus, doctus, syntaxis, amazones, maior. Porro quando uocalē natura breuem sequitur muta cum liquida, uocalis illa est communis, id est, produ

produci & corripi poterit, ut a in dictionibus patris patri &c. positum ante t mutam & r liquidam, cum est natura breue (ut apud Vergilium est mihi namq; domi pater est iniusta nouerca) est commune. Quodsi uocalis erit natura longa, excepta a muta & liquida, tantum producenda est ut matris fratris, salubris, aratrum, lauacrū, Est autem quandoq; tutum in his ab autoribus bonis non declinare, media enim in dictione genitrix corripitur a doctis, quamuis sit positio.

De uocali ante uocalem.

Vocalis ante alteram uocalem, in latinis corripitur, ut Deus, oratio excipitur fio, quoties non sequitur r post e. nam tum i corripitur, ut fierem. & e penultimum inter duas uoca-

as uocales positum in quinta infle
xione, ut diei, faciei. genitiui no-
minum & pronominũ in ius fere
ancipites sunt.

De Diphtongo.

Diphtongus ubiq; producitur, ni
si ipsam sequatur uocalis, ut sudi
busue præustis.

De Deriuatione.

Tanta est syllaba deriuatiui, quan
ta primitiui, ut quemadmodum a-
mo primam corripit, ita & omnia
ab eo tẽpora, omnia uerbalia, om-
nia participia. sic uidi preteritum
habet primam longam, ergo & om
nia ab eo formata tempora, exce-
ptiones tamen uidendæ, apud grã
maticos positæ.

Mediæ igitur syllabæ sic possunt
cognosci, si antepenultima syllaba
deriuatiui fiat penultima primiti-
ui, ut in

ui, ut in fortunatus, tu anpenul-
tima longa, nam in fortuna, eadẽ
syllaba penultima est longa. Item
syllabæ quędam simplicium ex cõ
positis noscuntur, ut prima de po
tens ex dictione omnipotens &c.
& composita ex simplicibus ut le-
go, perlego, ludo, illudo.

De incremento.

Incrementum est in nominibus,
aut uerbis, quando casus, aut tem-
pus ab altero superatur numero
syllabarum, ut dea, deabus. ueru
uerubus. pauperi pauperibus. a-
mas amabam. dices dicebam &c.
A, e, o, in crescentibus casibus ꝓ-
ducuntur. i, & u, corripiuntur, ut
deabus, duobus, diebus, manibus,
tribubus. Excipiuntur genitiui in
itis, inis, utis, uris, udis. ut samni-
tis, delphinis, salutis. telluris.

A, e, o, incrementis uerborum ꝑducuntur, ut amamus, docemus, amatote. Excipitur a in damus & ab eo compositis. i & u corripiuntur, ut legimus, uolumus. Excipiuntur uerba quartę coniugatiōis, ut audimus, sentimus.

De regula,

Prima regula.

Præteritum disyllabum primam producit, cum omnibus ab eo formatis, ut legi, uidi. Excipiuntur sex præterita cum suis compositis, bibi, fidi, steti, scidi, dedi, tuli.

Secunda regula.

Præteritum primam syllabam geminans, eandem corripit, ut momordi, pepuli.

Tertia regula.

Alia præterita quantitatem præsentis seruant, ut in amo est prima breuis, ergo & in amaui, & ab eo formatis, nisi literatura non obseruetur, ut in his quatuor genui, posui, potui, coegi, quæ primam breuiant, quamuis a longis ducātur.

Quarta regula.

Supinum disyllabum primam ꝑducit cum participijs ab eo formatis, & uerbalibus, frequentatiuisq; ut uisum participia uisus uisurus uiso, uisito, uisio, uisus nomen.

Excipiuntur hæc supina cum suis compositis itum ab eo inde reditū penul: correpta, quitum a queo, inde nequitum citum a cieo, inde cōcitum, situm a sino, inde desitum, litum a lino inde illitum, datum a do, inde redditum, statum a sto, satum a sero, inde insitum, rutum a ruo, inde obrutum, notum a nosco

primam longam habet in composi
tione mutat o in i breue, ut agni-
tum cognitum.
Dantur regulæ speciales a gram-
maticis de omnibus uocalibus in
primis, medijs syllabis, ante alias
consonantes productis, ante alias
correptis, de quibus solēt dari tres
uersus.

De primis syllabis.

Mansla, delensteue, flinsdiuirim,
bogodosmo, cudrunsgumft.

De medijs.

Gau bedecelmentu, qui, nost, du-
grumunticus adde.

De ultimis.

Auinc as, es, os, finales dant tibi
longas.
His uersibus docetur ante quas cō
sonantes uocales alique producun
tur, uel corripiuntur in primis, me
dijs, syl-

dijs syllabis, ultimo uero in quas
literas dictiones desinentes produ
cantur aut corripiantur. nam an-
te has consonantes intelligitur uo
calis produci, quæ cum ea hic in di
ctionibus ponuntur, ante illas ue-
ro corripi, quæ hic desyderantur,
ut a ante m n s l in primis sylla-
bis producitur, nam hæ ponuntur
in dictione mansla, quæ seruit uo-
cali a, ante alias uero corripitur,
quæ non sunt positæ in dictione
mansla. simili modo de alijs dicti-
onibus hic positis senties.
Exceptionū tamē memor sis, quas
apud alios grammaticos inuenies.

De exemplo.

Sicut illustres poetæ, citra licenti-
am usi sunt syllabis, eo modo licet
nobis quoq; uti, quæ ratio est om
nium certissima. ut uerbi causa.


 penul-

penultima in Latinus producitur nam apud Vergilium ponitur in fine uersus, ubi est spondeus constans, ex ambabus longis, ut inferretqꝫ deos Latio genus unde Latinum.

Ad Lectorem.

Habes candide lector, ad calcem deductum id, quod a principio promissum fuerat, quod quidem tu, a nobis iuuandi studio scriptum uel effusum potius, existimes uelim, non captandæ gloriæ causa, nouimus enim illam eiusmodi esse, ut quanto magis quispiam eam cupiat, tanto minus illā consequi possit. nec ista, tanti esse putamus, ut aliquid gloriæ ex his accedere possit. Vale nosqꝫ ama.

Errata. in figura vbi de monosyllabis agitur, pro lis lege fel. nam lis est longa. cætera vitia in punctis & literis, ipse facile corrigere poteris.



Regule generales de ultimis syllabis 6

1 Omnes fere nominativi latini singulares corripiuntur nisi sint monosyllaba aut desinant in positionem diphtongum aut in { ae / ei / oe }
Plurales semper producuntur preter neutra in a que sunt corripiuntur ut scamna

2 Omnis genitivus singularis producitur preter { genetivum tertie declinationis qui corripitur }
Pluralis sunt corripitur

3 Omnis dativus singularis producitur
Pluralis in is sunt producitur
4 in bus sunt corripitur

5 Vocativus imitatur nominativum

6 Omnis ablativus singularis producitur
preter ablativum tertie declinationis in e qui corripitur
Pluralis in is producitur
In bus corripitur

4 Omnis accusativus singularis corripitur pluralis sunt producitur Preter neutra in a